phase. Dicetque ad uos: Victima est
transitus domini, qui transiit super domos filiorum
israel in egipto, cum percuteret egiptios, nostras
autem liberauit domos. Inclinauitque populus
adorauit. Ierantque filii israel et fecerunt sicut
praeceperat dominus moysi et aaron, ita
omnia perficere curauerunt. Factum est autem
in media nocte, percussit dominus omne primogenitum
in terra egipti, a primogenito pharaonis qui sedebat
in solio suo usque ad primogenitum captiui qui erat
in carcere, omne primogenitum iumentorum.

Surrexitque pharao nocte, et omnes serui eius cunctique
egiptii et ortus est clamor magnus in egipto,
nec enim erat domus in qua non iaceret mortuus.
Vocauitque moysi et aaron nocte et ait: Surgite,
egredimini a populo meo et uos et filii israel.
Ite immolate domino sicut dicitis. Oues uestras
et armenta cum hoberibus tollite, sicut petistis,
et benedicite mihi. Vrgebantque egiptii populum
de terra exire festinantes: Omnes enim mortem
timebant. Tulit igitur populus conspersam farinam
antequam fermentaretur, ligans in pallis, posita super
humeros suos. Fecerunt autem filii israel sicut
praeceperat moysi, et petierunt ab egiptiis
uasa argentea et aurea uestemque plurimam.
Dedit autem dominus populo suo coram egiptiis
ut commodarent eis. Spoliauerunt egiptios.
Profecti sunt filii israel de ramese in succoth,
et ceciderunt fere milia pedituum uirorum absque
parbulis. Sed et uulgus promiscuum et in
numerum uile ascendit cum eis. Oues quoque et armenta
et iumenta grandia, diuersi generis multa nimis.